



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1618. usque ad annum 1620

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118847

§. 9. Comitia Hungarica Posonii celebrata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67326)

cum Venetis commercium denuo resti-
 tutum, & piratarum centum triginta
 tres perpetuo multati exilio, incensisque
 eorum domibus, ac navigiis Uscocho-
 rum nomen, simul ac diffidii fomes pe-
 nitus extinctus est. Ut ergo hæc pax
 omnibus nota fieret, die prima Februa-
 rij Cæsaris nomine Cleselius Cardinalis,
 jussu autem Ferdinandi Bohemiæ Re-
 gis Joannes Ludovicus de Ulm Pro-
 Cancellarius, præter Ascanium Gesu-
 aldum Papæ Nuntium, & Julium Me-
 dicæum Etruriæ Ducis Oratorem, &
 Georgium Justinianum Venetorum Le-
 gatum Neostadii convenere, quibus
 præsentibus omnes Madritensis pacifi-
 cationis articuli palam prælegebantur,
 ac solemnè promulgatione facta utrinque
 rati habebantur.

Sæc. XVII.
 A. C. 1618.

§. IX.

Comitia Hungarica Posonii celebrata.

Promota concordiæ stabilitate Ferdi-
 nandus Bohemiæ Rex die decima
 nona Martii Posonium ad Hungariæ
 comitia contendit. Erant ea ibidem
 eo fine indicta, ut de querelis subinde
 expositis tandem in Regno abrogandis,
 necnon de novo Rege, qui defuncto
 aliquando Cæsari succederet, eligendo
 ageretur. Postquam igitur Ferdinan-
 dus

Arth. Dan-
tisc. tom. 12.
lib. 2.

Sæc. XVII. A. C. 1618. dus Hungaricos Proceres pereleganti latina oratione salutasset, die vigesima tertia Martij Pro-Cancellarius eisdem Cæsaris nomine proposuit, quod Imperator Ferdinandum in Filium ac hæredem assumpserit, huncque pariter ab Hungariæ Proceribus nunc in Regem suum eligi peroptaret, ut eo eventu, quo Cæsaream Majestatem suam absque mascula prole decedere contingat, Regno de certo Rege ac Successore provisum esset, ita tamen, ut Cæsare adhuc superstite præter ejus mandatum, & præviam Hungarorum consultationem Ferdinandus nullo pacto se publicis Regni negotiis immisceret, sed solo coronati Hungariæ Regis honore contentus esset.

§. X.

Conditiones Ferdinando Regi ab Hungariæ Ordinibus præscriptæ, atque ante suam electionem firmandæ.

*Arth. Merc.
Gallob.
t. 12. l. 2.*

Percepta Cæsaris voluntate Hungariæ Ordines, Statusque ad Sigismundum Forgatsium Regiæ Curiæ Judicem referebant, quod Ferdinandum in Hungariæ Regem eligere decreverint, ea tamen lege, ut hic cunctas Regni libertates, statuta & jura firmiter ac integre